Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31639
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

uelle qui mortuos suscitabit, quam ligatum
tradere, qui mundum a peccato soluebat. Paruu-
lorum siquidem sagittae inania tela sunt, qui ludendi stu-
dio fragiles cannas in sagittarum consuetudinem
iacere consueuerunt. Sic iudeorum uota inefficaci
malignitate saeuissima non intulerunt flendam mor-
tem, sed potius gloriosissimam passionem; talesque
plagas dederunt quibus mors ipsa moreretur, et re-
missa mundi sospitas uelociter impleretur.
Et infirmatae sunt contra eos linguae eorum; conturba-
ti sunt omnes qui uidebant eos. In hoc uersu orige-
nis est secunda translatio, ut nobis constare pos-
sit absoluta sententia. Infirmatae reuera sunt
linguae eorum quando dixerunt: Si filius dei
est, descendat de cruce. Et uiderunt postea re-
surgentem de sepulcro, quem de crucis descende-
re non credebant posse patibulo. Ubi est iu-
daei infidelitas uestra? Adhuc de uiuo diceba-
tis: si rex israel est, descendat de cruce. Vos ipsos
consulo, uos ipsos iudices peto. Quanto mi-
rabilius est mortuum posse resurgere, quam
adhuc uiuum de cruce uelle descendere. Par-
ua petistis, dum maiora prouenerunt. Sed infi-
delitas uestra non potuit sanari signis multo
fortioribus quam petistis. Additum est: Contur-
bati sunt omnes qui uidebant eos, reos scilicet
atque confusos, contra quorum linguas resurrec-
tio domini gloriosa prouenit. O noua mentis et ami-
randa callositas. De illorum confusione conturba-
bantur alii, et illorum peruersitas ad paenitudi-
nem non poterat inclinari. Conturbati sunt
enim ex illis quidam credentes, quando ad
apostolos uenerunt et dixerunt: Quid faciemus uiri
fratres? Qui salutaria monita percipientes per
sanctum baptisma dilui meruerunt a damnati-
one perpetua. Et timuit omnis homo et annun-
tiauerunt opera dei et facta eius intellexerunt.
Frequenter diximus generalitatem pro parte

poni. Omnis enim homo hic intellegendus est, non
ille uniuersalis, sed qui iudicium futurorum
considerata domini potestate formidat. Nam
ut intelligas de fidelibus tantum dici, uide
quod sequitur: Et annuntiauerunt opera dei, scilicet glo-
riam resurrectionis, agnitionem in fractione
panis, ascensionem in caelos, uariis linguis lo-
cutos fuisse apostolos, et cetera quae per apostolos
suos post resurrectionem suam saluator ostendit.
Ista enim annuntiauerunt praedicando diuersis,
et pro dolor gentes auditis crediderunt mira-
culis, quibus illi noluerunt animum praebere nec ui-
sis. Additum est: Et facta eius intellexerunt. Utique
intellexerunt esse diuina, quia talia non poterat im-
plere humana fragilitas. Laetabitur iustus
in domino et sperabit in eo, et laudabuntur omnes
recti corde. Audiamus promissionem domini et
sententiam uerissime iudicantis. Iustum in fu-
turo dicit laetaturum, quia hic discipulos suos
nouerat diuersis passionum afflictionibus
ingrauandos. Sed laetabuntur quando sedebunt
in iudicio iudicantes duodecim tribus israel. Contris-
tati sunt ad tempus, laetabuntur in aeternum, quia
maiora sunt praemia domini, quamque illi a fide-
libus muneris tamen ipsius probantur offer-
ri. Sed ne crederes solis apostolis dici, sequitur
sententia generalis: Et laetabuntur omnes rec-
ti corde. Corde recti sunt qui per semitas rectas
domini gradiuntur. Ab illa enim regula qui
uoluerit pedem amouere, distortus est; nec po-
test quisquam rectus dici, nisi qui illius ueri-
tati praedicationique consentit. Tales enim reddun-
tur semper laudabiles, quia et dominum laudant,
et ab ipsa ueritate laudantur. Quid enim lauda-
bilius quam ab ipso iudice in conspectu omnium
angelorum gloriose et desideranter audire: Uenite
benedicti patris mei, et reliqua quae nos euangelii
textus edocuit.

Conclusio.